Chronici eiusque fontibus atque origine multo difficilior reddita est.

Qua in re maxime id agitur, ut diiudicemus quam Chronici partem ipse Tolosanus composuerit et quam alius continuator anonymus addiderit. De ipsius enim Tolosani vita Mittarellius ex tabulario capitulari canonicorum Faventinorum ac non archivio Azzuriniano complura documenta protulit, in quibus ipse Tolosanus commemoratur. Atque primum quidem legitur nomen magistri Tolosani canonici Faventini una cum aliorum canonicorum Faventinorum sub anno 1188, iterum ad diem 25. Aprilis anni sequentis, et inde omni anno usque ad tempus eius postremae infirmitatis et ultra, cum primis anno 1192 et 1202, ubi Theoderius Faventinus episcopus committit eidem Tolosano cognitionem causae quae vertebat inter abbatem S. Mariae foris portam et Alpherium hospitalarium S. Leonardi de Vincareto, ut testatur Innocentius III scribens abbati S. Iuliani Ariminensis dioecesis Idibus Sept. pontificatus anno quinto. Occurrit idem magister Tolosanus canonicus annis 1203, 1205, 1208, 1209, 1210, 1215, 1219.

Anno.